


DE COMETARVM SI-
GNIFICATIONIBVS IVDICIVM THOMAE
ERASTI *Medicinæ in Scola Heydelbergensi*
Professoris.



AXIMA pars hominum à male-
fanis Astrogolis, puto, persuasa,
Cometarū apparitiones ex propria
sua natura ominosas esse, ma-
gnasq; naturaliter calamitates,
præsertim uero bella, pestem, an-
nonæ caritatem, Principum mor-
tes, Regnorum & Vrbium euer-
siones, Regionis mutationes, & his similia portendere
censem. Non desunt etiā, qui non mala semper prænun-
ciare eos afferant, sed maximorum aliquando bonorum
fuisse authores, & prænuncios, opinentur. Plinius certè
audacter affirmat, Cometam, qui in Ludis Augusti Cæ-
sar is apparuit, salutarem mundo fuisse. Legi qui Christi na-
tiuitatem aut Christianæ religionis exortum præfigura-
uisse scribunt. Credunt enim ab eis mutationem religio-
num in primis præindicari. Constat etiam ex historia,
post Cometam, qui anno Domini 1097. mense octob.
splēduit, æstatem omni fructuum genere affluentissimā
& fertilissimā esse consecutā. Nec dubitarūt, qui tū vixe-
rūt, credere et affirmare, à Cometa præcedēte id indicatū
fuisse, cum nihil magni malī accidisset, cuius eum prænū-
cium facerēt. Annus quoq; 1506. post duram hyemem o-
ptimus, & summa omnium rerum uilitate celebris fuit:
quam similiter fælicitatem à Cometa, qui in Augusto
cōspiciendum se exhibuit, præostensam fuisse putarunt,
qui tū uixerunt. Gēma quoq; Frisius subinde locis, quib.
imminere uisi sunt, aeris temperiem, annonæ copiam, &
pacem peperisse arbitratur. Nolo his addere, quorū me-
minisse omnes ferè adhuc possumus, quæ scilicet annos

¶ . 2 1556.